

**Ángelo Jiménez, Matías**

**Oratio habita in Regia Universit. Complut. De  
rhetorica caeteris litteris humanis praeponenda / á  
Mathias Angelo á Jiménez.**

Matriti : Apud. E. Aguado, 1833.

Vol. encuadernado con 17 obras

Signatura: FEV-AV-M-01418 (15)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

*Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente*



# ORATIO

HABITA

IN REGIA UNIVERSIT. COMPLUT.

# ORATIO

CÆTERIS LITTERIS HUMANIS PRÆPONENDA

HABITA

XV. KALEND. NOVEMBRIS

in Regia Universitate Complutensi

a D. Mattheo Angelo a Jimenez,

XV. KALEND. NOVEMBRIS MDCCCXXXIII.



SE ATRITUS

APUD E. AGUADO, REG. UNIVERS. TYPGRAPHUM,

MADRIDENSIS.

# OITAVO

ATLANTIS

in Medio Universale Compositum

AN. XXXX. MCMXII. MDCCCLXXII.

# ORATIO

HABITA

IN REGIA UNIVERSIT. COMPLUT.

## DE RHETORICA

CÆTERIS LITTERIS HUMANIS PRÆPONENDA

XV. KALEND. NOVEMBRIS

à D. Mathia Angelo à Jimenez,

HUMANARUM LITTERARUM PROFESSORE.



MATRITI:

APUD E. AGUADO, REG. UNIVERS. TYPOGRAPHUM,

MDCCXXXIII.

# OITARIO

LIBRARY

IN BREVI UNIVERSIT. COMPLUT.

## DE HISTORIA

Sed tamen difficile dictu est, quantoperè  
conciliet animos hominum comitas affibili-  
tasque sermonis. Magna est enim admiratio  
copiosè sapienterque dicentis; quem qui au-  
diunt, intelligere etiam, et sapere plus quam  
caeteros, arbitrantur.

CICERO LIB. 2. DE OFFICIIS CAP. 14.



LIBRARY

ALBERTO VEGAS, REE UNIVARSITATIS ALAVIANAE  
MDCCLXXXVII

multa contumeliam et contumeliam. Ita etiam  
in seculorum eternis qui in seculis mundis ibi in mun-  
dus eternus et in seculis mundis ibi in mun-  
dus eternus et in seculis mundis ibi in mun-  
dus eternus et in seculis mundis ibi in mun-  
dus eternus et in seculis mundis ibi in mun-

**M**ulta contemptu curantur, sed mihi apud vos  
hodie sermonem instituenti hoc adjungendum vi-  
detur, multa viris, qui nullam honoris sui jactu-  
ram facere velint, s̄epissimè sese offerre, quæ  
non contemptu, sed labore, non turpi ab ipsis  
rebus declinatione, neque parvo, ut ajunt, motu  
corporis, sed maximo studio et contentione supe-  
randa sanandaque videantur. Huc etiam accedit  
ea ipsa eo amariora durioraque existere solere,  
quo minus essent nobis expectanda atque facien-  
da. Heu! Quam malè vir senescens personam  
induit, et gerit adolescentis! Utinam, auditores  
amplissimi, utinam eadem, quæ quondam fuit,  
etiam esset nunc corporis vis ad elaborandum,  
eadem mens ad cogitandum: idem est studium  
ad obsequendum; idem profectò, sed non eadem  
est ætas. Multa jam invenio in me delabentia at-  
que ruitura, multa debilitata fractaque, multa  
penè amissa, cunctaque et animi et corporis bona,  
quæ à D. O. M. in nos homines collata sunt, ita  
deformata, ita sui dissimilia, ut non modo ad res  
magnas bene gerendas vix auxilio esse nobis

\*

possint, sed graviora molestioraque inter agendum et dicendum afferant impedimenta, quæ qui aut removere, aut superare vellet, eum ego non prudentem, sed amentem judicarem. Denique cum me ipsum intueor, cunctaque mea mente animoque versor, id ipsum de me dici posse reperio, quod olim de Niobe in lapidem conversa à Poeta dictum fuit. Oh! Quantum hæc Niobe Niobe distabat ab illa!

2. Sed cum in locum virorum doctissimorum succedere coactus sim, eorumque vices gerere, quibus, etiam si cuncta mea essent integra, nequaquam parem me esse considerem; oro obtestorque vos, ut maximam ingenii mei tarditatem, torporem et inopiam consitenti mihi operem feratis, quam si pro me simul cum benevolentia studioque vestro stare cognovero, sperem fortasse, ætatis naturæque menda cura atque diligentia, si non omnino, quod nunquam audeam polliceri, aliquo tamen modo me compensaturum. Sed quid auditu, laudeque dignum mihi ad vos sit afferendum, cum ab his, qui me ex hoc ipso loco dicendo præiverunt, tam multa et tam præclara ornatissimè et copiosissimè dicta fuerint, ut vix aliquid nobis reliqui fecerint, de quo aut gratioribus sententiis, aut selectioribus verbis disserere possemus? Cum verò certo certius sit, quæcumque res ad humaniorum litterarum co-

gnitionem pertinent, eas neque vobis neque mihi injucundas, neque his, qui scientias discere conantur, inutiles futuras; non abs re fore crediderim, si, prætermisis cæteris, quibus hominum quoque mentes excoluntur, ut hispani latinique sermonis grammatica, arte poetica et historia, de arte Rhetorica, quæ tanquam omnium humanarum litterarum domina atque regina videatur, judicioque meo sit, ea dicenda explanandaque curaverim, quæ adolescentium præsertim animos ad ipsius studium excitare inflammareque debeant.

3. Cum igitur omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, homines vehementer decorare exornareque soleant, tum vero nescio, quid præclarius ac pulchrius ars Rhetorica præ ceteris secum ferat, quo ad ejusdem studium maximè impellimur, ut pote qui in ea florere atque præcelle-re pulcherrimum, errare verò et nescire turpis-simum ducimus. Itaque id statuo, ac vobis audiendum propono: *artem Rheticam ex cæteris, quæ dicuntur humanæ, præstantissimam esse, atque nobilissimam.* Attendite, quæso, diligenter. Mirabuntur forsitan quidam viri prudentiores Rheticam Poesi, cuius dignitas, atque præstantia haud esse debet nobis incognita, hac oratione nostra fuisse velut intempestivè et inopportunè prælatam, qui non animadventent quantum decoris et pulchritudinis inesse Poesi, meditantur

id pæne totum non à se ipsa magna ex parte, sed à Rhetorica, sine qua Poetæ vix flocci sint, accipere solere. Itaque, dum artem oratoriam omnibus humanis litteris anteponendam statui, non quod mihi libuerit, quid enim minus deceret loquenter apud vos? sed quod maximè rationi consenteum arbitratus sim, faciendum curavi. Ac verò non sine causa, sed præcipuè duabus: primùm, quod maximum splendorem et gloriam pulcherimam offerat ars oratoria iis, qui ea castè integrèque utuntur; deinde, quod cunctæ litteræ, quæ sunt tanquam illius propinquæ et consanguineæ, atque item scientiæ auxilio suo penè divino, juventur vehementer et extollantur. Obscro igitur, auditores amplissimi, ut animo attento benignoque accipiatis quæ dicam, et vivum perennemque humanitatis vestræ fontem, qui omnibus ante me bonarum artium studiosis maximè patuit, mihi uni neque clausum, neque interceptum esse patiamini.

4. Argumentum enim nostrum est ejusmodi, quod maximè debet animos omnium, præsertim in scientiis discendis versantium, commovere et excitare, sine quo neque in republica litteraria hominis commune nomen cum dignitate possit obtineri, neque consilium sapiens ad populi salutem in medium proferri, neque veneranda sanctissimaque Religio à furioso..... furiosum dixi?

ah! à sacro, à mordaci, à nefando, quo impii  
 in eam feruntur impetu, ullis aliis opibus huma-  
 nis possit defendi et vindicari; quod è majori  
 dolori nobis debet esse, quo majores nostri iisdem,  
 quibus hostes, præsidiis eloquentiæ fulti fortius  
 ac audaciùs quàm nos olim pro ea propugnave-  
 runt. Sed ad propositum revertamur. Et quoniam  
 nihil nobilius neque præstantius mente atque ra-  
 tione hominibus divino munere concessum est,  
 in dubium verti non potest, quin illa omnia has  
 optimas tanquam animi nostri partes amplificantia  
 summum splendorem, ingentem gloriam, lau-  
 dem honestissimam hominibus sint allatura: in  
 quibus artem oratoriam cæteris litteris humanis  
 antecellere facile cognoscemus, si non tantùm  
 mentem et rationem intra nos eosdem, ut vulgo  
 fieri solet, sed potius ut ad reliquos homines, eo-  
 rumque pulcherrimam societatem referuntur,  
 animo quieto et attento perpendamus.

ol 5. Neque me ita mente laborare existimetis,  
 ut communī sermone, quamvis neque politus ne-  
 que nimis cultus sit, humanam societatem servari  
 non posse crediderim: at verò vos id non inficia-  
 tum ire habeo pro comperto, humanam ipsam so-  
 cietatem, neque tam splendentem, neque tam or-  
 natam, neque tam pulchra forma nobis ostenden-  
 dam, si artis omnino oratoriæ ornamenta sibi  
 defuerint, præcipueque illa, quibus affectus no-

\*

stri vehementiores exprimuntur, et in quibus inest vis non exigua persuadendi. Neque id profectò esse non potest. Nonne omnes ii, qui copiosè, sapienterque dicunt, quamdam nobis prægrandem admirationem injiciunt, simul cum ob-servantia honorificentissima conjunctam? Non isti plus quam cæteri nobis intelligere et sapere videntur? Non in illis aliquid tanquam divinum splen-descere arbitramur, quod in cæteris mortalium nequidquam quærendum sit, atque aut raro, aut nunquam inveniendum? Si aut in sermonibus, aut in eorum orationibus intersit quædam mixta modestiæ probitas, quid, per Deum immortalem, admirabilius fieri possit? Possem equidem nunc plurima virorum sapientissimorum congerere testimonia, quæ tacitus silentio præterire cogar, ne aut in rebus minimè obscuris testibus utar non necessariis, neve sapientiæ vestræ, quam maximè colendam ac venerandam perpetuò duxerim, turpiter diffidere viderer. At nullo modo de Cicerone silentium mihi agere liceat, cuius illustria et omnibus nota in primo de Oratore libro sunt verba hæc: "Quid est, inquit, aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis, gravibusque verbis ornata

oratio et polita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem unius oratione converti?"

6. Magnifica sunt hæc Ciceronis de eloquentia verba; sed liceat quoque mihi per sapientes ista item verissima adjungere: Si litteris humanis et scientiis inseratur ars præstantissima Rhetorica, tum istæ secum ferre videntur

*Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo  
Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro.*

Itaque cum artis Rheticæ dignitas ante meos obversatur oculos, miror, auditores amplissimi, miror vehementer, si tot inter nos inveniantur viri, qui summopere contendant alii ut currant, alii ut saltent, alii ut cantent, alii ut pedum celeritatem excitent, alii ut corporis robur augendum et confirmandum curent (quod non est omnino vituperandum, si tempore, et moderatè fiat), alii, quorum ego conditionem miserrimam semper duxerim, omne suum studium et operam conferant ut formam pulcherrimam conservent et ornent, quæ multa aut sunt longè meliora in bestiis quàm in nobis, aut certè communia nobis cum illis. Et cum abunde eorum hominum sit, qui in nullius momenti rebus dies noctesque versentur, nos, quod omnino nostrum est, quod

hominis proprium à D. O. M. concessum ad vitæ societatem, ad communionem juris, atque morum, ad mutuam vel salutem vel voluptatem negligemus? non perficiemus? non expoliemus? non exornabimus? Et in obscuro jacere, et delitescere patiemur? Si mundi Creator, et Parens Deus summam suam gloriam in nobis ostendit, tantum et tam optabile bonum nobis impertiendo, rationem videlicet et orationem, desidiæ turpissimæ essemus meritò condemnandi, si hæc penè divina munera pendentes parvi, in ea ipsa tuerenda et ornanda non incumberemus.

7. Quid quod superbissimo fastidio mortaliū rectè et sapienter cogitata, nisi lectissimis verbis, gravissimisque sententiis ad aures perveniant, neque fidem faciant, neque in hominum mentes influant, neque animos quidquam moveant, neque memoriam grātam habeant, neque diuturnam? At quæ aut in Philosophia, aut in Theologia, aut aliis scientiis libenter audiuntur, ea sic arripiuntur, ut propè ad æternitatem maneant, hæreantque in pectore fixa. Itaque, si hæc ipsa semper ornatè copiosèque dicerentur, quis eis non assentiret? Quanta audientes, legentesque ea admiratione afficerentur? Fatemur, inquiet aliquis, artem oratoriam satis ornamenti et splendoris afferre humanæ societati; at nisi fuerit aliis utilior litteris humanis, poterit inter eas esse

præstantissima? Facile est quid respondeam. Ex dictis satis ostensum est, neque tantam, neque tam magnificam rerum maximarum copiam, tum ad ipsas litteras et scientias, tum ad ipsam humanam societatem ex aliqua earum redundare, quanta ex ea quam laudibus efferimus artem orationem.

8. Sed si, his dictis, animus etiam manens incertus et hæsitans aliquid amplius requirat, atque desideret, quo artis oratoria præstantia sit nobis dignoscenda, ne decidatis spe: attendite, quæso, diligenter. Nemo qui sana mente sit, ibit inficias religionem esse societatis humanæ tanquam firmissimum fulcimentum, et eos, qui de religione ipsa optimè meriti fuerint, utilissimum atque pulcherrimum officium eidem humanæ societati præstisset. Et quis potius quam Orator, nisi extra chorū saltet, aut in alienam messem mittat falcem, possit de Religione benemereri? ¡O miserrimam nostrorum temporum conditio-nem! O nunquam satis deplorandam sortem nostram! Bone Deus, loquar? an taceam? Proh dolor! Dicendum tandem est. Aut nulla salus re-licta nobis fuit, afflita ac propè desperata Repu-blica Christiana; aut ars oratoria tantum (si auxilia excipientur cœlestia, quæ firmissima et certissima semper sunt), aut nullum, inquam, restat auxilium, aut hoc solum superest, ut ii, qui in ea

tutanda et sustinenda versentur, in id toto pectori incumbant, ut sapientissimè, ornatissimè, copiosissimè dicant. Etenim sunt quædam in nostra sacra Religione à depravatis multitudinis opinionibus maximè abhorrentia, naturæque nostræ corruptæ vehementer adversantia, quæ nisi splendescant oratione, et ea bene comp̄ta tanquam expoliantur, poterunt quidem illa divina vi, quæ nullis indiget artibus humanis, multitudini persuaderi: poterunt profectò; at humano modo nunquam poterunt.

9. Itaque stomachum mihi movent vehementer omnes, qui nihil facientes ornatum eloquentiæ, sive loquendo, sive scribendo, vagantes et incerti per locos communes more Stoicorum in rebus frigidiusculis, et minimè mirandis passim et minutatim interrogantes ita hærent, vel potius dicam, ita sibi aqua hæret, ut difficile dictu sit, an eos odio prosequi debeamus, propterea quod sua sponte libentissimèque faciant, quod nunquam bene faciant, neque facturi esse videantur; an misericordia, quod vehementiori bene dicendi studio elati, et incensi nunquam possint ad rectam eloquentiæ viam pervenire. Vitiosum quidem est, fateor, non tam quid dicatur, quam quomodo dicatur attendere; sed si res ita se habent, quid nobis aliud agendum sit? Paucissimi sola sapientia contenti sunt: omnes eloquentiam requi-

runt et amplectuntur. Quam ergo dicendi viam tenebimus? Non optant tantum auditores ut monum, vitæque magister orator sit sapiens et probus, sed etiam copiosus et ornatus. Sanctus enim Augustinus ex quatuor libris, quibus Christianum oratorem omni laude cumulatum instituit, unum in eo consumpsit, ut Rhetorico propè more, quemadmodum inventa essent in lucem profienda, demonstraret. Non latebat virum eximia, reconditaque doctrina, atque in hac dicendi facultate exercitatissimum, quanti ea res esset momenti ut Religio firma tanquam rupes in medio mari fluctibus exagitatae, quieta tamen et immota permaneret; vel ut navis pelago commissa, ejusdemque tempestatis vastisque procellis vexata, prævalidis eloquentiæ opibus ad portum pleno velo multaque vectorum lætitia perveniret.

10. Multa quidem et magna videbuntur hæc, quæ de artis oratoriæ præstantia ac dignitate dicta sunt; sed multo plura sunt atque majora, ex quibus propositum nostrum, ni tempus premeret, posset enitescere, et tanquam lux meridiana in omnium oculos incurrere. Cum ergo artis Rhetoricæ maxima potestas ad hominum mentes, seu à rebus turpibus removendas, seu ad honestas impellendas menti meæ subit: cum etiam animo perpendo quanti semper in quibusdam civitatibus facta sit, ut inter Athenienses atque Roma-

nos, qui cæteris aliarum gentium hominibus omni scientiarum genere præcelluere: cum considero summos honores et imperia viris eloquentibus nulla majorum suorum commendatione mandata: cum versor item animo, quantum pecuniarum nonnulli veterum oratorum consecuti sint: cum in contemplatione illius castissimæ voluptatis insisto, quæ ex dicendo capitur maxima atque dulcissima: tum veluti sensus expers: quænam, inquam, est hæc ars tam peregrina, quæ homines sic amplissimis honoribus afficiat, tot tantaque bona in ipsos conserat, memoriamque eorum relinquat aut diuturnam, aut immortalem?

11. Erunt fortasse qui dicant Rheticam non ita esse laudandam ut nos existimamus, præsertim cum quidam inter sapientes inventi sint, qui asserere ausi fuerint posse méritò dubitari, utrum plus boni, quam mali attulerit hominibus ars bene dicendi. At verò istis pauca respondenda. Rheticæ eamdem conditionem sortita est, quam cætera bona, quæ extra nos sunt. Perinde illa est, ut animus est illius eam possidentis. Si bonus, bona; sin malus, mala. Optima in eo, qui bene illa utitur; admodum mala in eo, qui malè.

12. Desunt quidem alii, nobis exagitandi ac vehementer reprehendendi, qui, cum de rebus Religionis, ipsiusque purissimis mysteriis et præceptis agendum sit, nullo orationis ornatu, sed

simpliciter cuncta agenda esse conantur, atque contendunt confidenter pluris simplicitatem esse in his rebus, quam eloquentiam. O viros nimium sibi æqui, rectique conscos atque prudentes! Recedant Augustinus, Hierónymus, cæterique anti-qui Ecclesiæ Patres, qui eam nobis eloquentia fulgentissimam tradiderunt. Exorti sunt enim memoria nostra novi Doctores, quibus id minimè probaretur. Novi sapientes: Vos habetis consultius in rebus ad Religionem spectantibus abjicere eloquentiam? Sit ergo ita. Sedete læti, lentique: et cum videritis societatem, et religionem, cunctaque bona, quæ ab his proficiscuntur, innumerabilia, et labefactata, et diruta, et eversa, equorumque, ut ita dicam, sub pedibus jacentia, tunc vos ita sedentes, quamvis per ipsam eloquentiam his rebus tristibus mederi possitis, animo tamen quieto, tranquillo et placidissimo dicite pacatissimè: Non decet nos in rebus Religionis uti eloquentia. Præclara vox! mirabilis! Decuit Lactantium, decuit Tertullianum, decuit Chrysostomum, decuit penè cunctos Ecclesiæ Patres; et vos pariter non decet? Decuit Reverendissimum Patrem Fratrem Ludovicum Granatensem, clarissimum Ordinis Prædicatorum lumen, qui Cicero alter christianus appellatus est, et item Bourdaluvium, et Bossuetum, et Massillonum, aliosque centies mille; et vos ita non decebit? Hoc idem

mihi in vos dicendum arbitror, quod olim ab antiquissimo, sapientissimoque Ecclesiæ Patre in hæreticos, et sui temporis impios, verissimè dictum fuit: Mira sunt quæ dicitis, nova sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis. Mira stupemus, nova cavemus, falsa rejicimus.

13. Maneat ergo, auditores amplissimi, artem oratoriam, propterea quod tanta et tam admiranda sit ejus dignitas, tantaque ex illa commoda ad singulos homines, ad ipsorum societatem sanctamque religionem profiscantur, fulgentibus quoque per ipsam modo mirabili cæteris litteris et scientiis, tantum inter eas, quæ plurimum ad primam juventutis institutionem valent, extollere caput,

*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Quare, adolescentes optimi, dubitabitis in istius facultatis studium incumbere, qua plurimi et virtute, et sapientia clarissimi pulcherrimè illustrati sunt? Majores nostri eloquentiae armis fulgentibus accincti, potentique suo fulcimento innitentes, in maximas ac periculosas dimicationes audacter et strenuè sese objecere, vel ut verum populo patefacerent, vel ut is à quibusdam stultis opinionibus esset liberandus, aut aliqua sibi tuta commoda tanquam digito demonstrarentur, vel ut ipsi

item oratores adversariorum conatus repremerent aut morarentur, vel ut religionem fortasse absurdam tuerentur: atque nos eorum posteri, qui oculos eruditiores habere debemus, iisdem quibus illi usi sunt armis contumeliosè abjectis, nequid periculi aut laboris adeundum sit, maximo scientiarum dedecore, sedentes et otiantes, artis oratoriæ immemores, turpiter tempus conteremus? Nos? Nos? Videte ne, ut illis pulcherrimum et gloriostissimum fuit tot tantosque sibi hac arte pretiosissima honores comparasse, sic vobis quærerentibus nunc bonum nomen turpissimum sit eosdem non æmulari, qui nobis laudem reliquerunt nominis sui sempiternam.

14. Ergo, viri theologi, insistite viam eloquentiæ; et quoniam in utramque partem valet copia dicendi, ut adversarii vestri ea abutuntur ad Ecclesiæ perniciem, eamque, si possent, evertendam; extorqueantur à vobis ipsorum arma, et ad ipsius Religionis salutem et incolumentatem conferrantur: et novatores impii, qui hoc unum verè semperque sapiunt, scilicet, nunquam bene sapere, neque sapere ad sobrietatem, perturbati silentium facient, et repellentur, et rejicientur, et retundentur. Utrarumque legum periti insistite eloquentiæ: splendebunt jura, minuentur criminæ, Astræa pulchra exercebit imperium, paucissimi æqui rectique imprudentes leges perfrin-

gent. Philosophi, seu amatores sapientiae, insistente eloquentiae: et ita à cæteris hominibus oculis intentis naturam libentissime contemplantibus, invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta nitidius, et splendidius conspicientur. Tum congratulabimur Academiæ nostræ, et illa nobis, et hispani quoque sapientes nobis item gratulabuntur.

### DIXI.